



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De  
Imitatione Christi Libri Quatuor**

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniæ, 1723**

XIV. De temerario judicio vitando.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](http://urn.nbn.de/hbz:466:1-45773)

7. In temptationibus & tribulatiōnibus probatur homo , quantum profecit: & ibi majus meritum existit, & virtus melius patescit.

Nec magnum est , si homo devo-tus sit & fervidus , cūm gravitatem non sentit : sed si tempore adversi-tatis patienter se sustinet, spes magni profectūs erit.

Quidam à magnis temptationibus custodiuntur , & in parvis quotidianis s̄epe vincuntur: ut humiliati , nunquam de seip̄sis in magnis confidant, qui in tam modicis infir-mantur.

## C A P U T XIV.

### *De temerario iudicio vitando.*

I. **A**d te ipsum oculos reflecte , & aliorum facta caveas judica-re. In judicando alios, homo frustrā laborat , s̄epiūs errat , & leviter pec-cat : seipsum verò judicando & dis-cutiendo semper fructuosè laborat.

Sicut nobis res cordi est , sic de ea frequenter judicamus : nam verum judi-

judicium , propter privatum amo-  
rem, faciliter perdimus.

Si Deus semper esset pura intentio  
nostrī desiderii, nō tam faciliter tur-  
baremūr pro resistētia sensus nostri.

2. Sed sāpe aliquid ab intra latet,  
veletiam ab extra concurrit , quod  
nos etiam pariter trahit.

Multi occulte seipsoꝝ querunt in  
rebus quas agunt , & nesciunt.

Videntur etiam in bono pace sta-  
re, quando res pro eorum velle fi-  
unt , & sentire : si autem aliter fit,  
quām cupiunt, citò moventur & tri-  
stes fiunt.

Propter diversitatem sensuum &  
opinionum , satis frequenter oriun-  
tur diffensiones inter amicos & ci-  
vies, inter religiosos & devotos.

3. Antiqua consuetudo difficulter  
relinquitur : & ultra proprium vi-  
dere nemo libenter ducitur.

Si rationi tuæ magis inniteris vel  
industriæ, quām virtuti subjectivæ  
JESU Christi, raro & tardè eris ho-  
mo illuminatus ; quia Deus vult  
nos sibi perfectè subjici , & omnem

32      *De Imitatione Christi*  
rationem per inflammatum amo-  
rem transcendere.

## C A P U T X V.

### *De operibus ex charitate factis.*

1. **P**RO nulla re mundi , & pro nullius hominis dilectione, aliquod malum est faciendum , sed pro utilitate tamen indigentis , opus bonum liberè aliquando intermit- tendum est , aut etiam pro meliori evitandum.

Hoc enim facto, opus bonum non destruitur , sed in melius commu- tatur.

Sine charitate , opus externum nihil prodest : quidquid autem ex charitate agitur , quantumcumque etiam parvum sit & despectum , totum efficitur fructuosum.

Magis siquidem Deus pensat ex quanto quis desiderio & amore opus agit, quam quantum fecit.

2. Multum facit , qui multum di- ligit.

Multum facit , qui rem benè facit.

BENÈ

eo  
cap